

ÉDITION 2025 : « Héritage(s) »



CIC
ÉRO
NNA
DES

SEMPER LOQUITUR

LATIN

LYCÉE

TEXTE EN PROSE

Ego te, Cinna, cum in hostium castris inuenissem, non factum tantum mihi inimicum sed natum, seruaui, patrimonium tibi omne concessi. Hodie tam felix et tam diues es, ut iucto victores inuideant. Sacerdotium tibi petenti praeteritis compluribus, quorum parentes mecum militauerant, dedi. Cum sic de te meruerim, occidere me constituisti. » Cum ad hanc uocem exclamasset procul hanc ab se abesse dementiam : « Non praestas » inquit « fidem, Cinna ; conuenerat, ne interloquereris. Occidere, inquam, me paras » ; adiecit locum, socios, diem, ordinem insidiarum, cui commissum esset ferrum. Et cum defixum uideret nec ex conuentione iam, sed ex conscientia tacentem : « Quo » inquit « hoc animo facis ? ut ipse sis princeps ? male mehercules cum populo Romano agitur, si tibi ad imperandum nihil praeter me obstat (domum tueri tuam non potes, nuper libertini hominis gratia in priuato iudicio superatus es adeo nihil facilius potes ; quam contra Caesarem aduocares !). Cedo, si spes tuas solus impedio : Paulusne te et Fabius Maximus et Cossi et Servili iam ferent tantumque agmen nobilium non inania nomina praeferentium, sed eorum, qui imaginibus suis decori sint ? » Ne totam eius orationem repetendo magnam partem uoluminis occupem (diutius enim quam duabus horis locutum esse constat, cum hanc poenam, qua sola erat contentus futurus, extenderet) : « Vitam » inquit « tibi, Cinna, iterum do, prius hosti, nunc insidiatori ac parricidae. Ex hodierno die inter nos iterum amicitia incipiat ; contendamus, utrum ego meliore fide tibi uitam dederim an tu debeas. » Post hoc detulit ultro consulatum questus, quod non auderet petere. Amicissimum fidelissimumque habuit, heres solus illi fuit. Nullis amplius insidiis ab ullo petitus est.

SENEQUE, *De la Clémence*, IX, 8-10,
éd. F. Préchac, Les Belles Lettres, Paris, 1961.